

tem Burneto venit . *Requiem* in divino Libro Animabus Justorum a Corpore segregatis promissam , nihil aliud esse , nisi ignobilem Quietem & Somnum , donec post quamplurima Sæcula ad Regnum & ad Vitam æternam in finem Mundi advocentur ? Ecce Apostolos & veteres Patres , qui nullam aliam agnoscunt *Requiem* , nisi *Regnum Cælorum & Vitam æternam* . Quare quum in Apocalypsi appellentur *Beati , qui in Domino moriuntur* , & pollicetur Deus , eos *amodo* , idest a tempore mortis , futuros in beatissima illa *Quiete* : quid aliud restat , nisi ut eo quoque ex loco deducamus Justorum Beatitudinem eximiam vel ante postremum Judicium ; quæ tandem non primum ineunda , sed tantummodo augenda & complenda erit , quum Caro etiam ab Animabus resumta , in conspectum Dei & ipsa conscendet ? Quam vero Paulus nuper Hebræis Fidelibus , & nobis quoque dixerit : *Festinemus ergo ingredi in illam Requiem* , mirum est , quæi Burnetus non perspexerit , se incaute adversari , ne dicam irridere Apostolo , dum contendit , ipsum , ejusque discipulos , *festinasse* quidem , ut ingrederentur in *Requiem* illam Cœlestem , sed ne post Annos sane Mille & Septingentos id illis contigisse , atque expectanda eni adhuc esse complura Sæcula , ut illuc tandem ingrediantur . Quid hæc ferat ?

Alia certe erat Paulo fiducia , alia spes , immo fides . Atque id ipsum erui posse nihil videtur ex ejus verbis ad Ephes. 11. 5. ubi ait : *Et quum essemus mortui peccatis , convivificavit in Christo ( ejus gratia estis salvati . ) Et concessitavit , & confedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu* . Quin Præteritum heic pro Futuro adhibitum recte censetur , non abnuo . Quod sipe nunc tenemus , re quoque suo tempore consequemur . Nihil tamen obstat , quominus & Præteritum , & Futurum S. Apostolus conjunxisse potuerit . Præcesserant enim Stephanus , alique Justi inter Christianos , quos Deus *confedere* fecerat in *cœlestibus* . Se quoque , & Ephesios , ad quos scribit , & ceteros in posterum Justos , statim a morte confessuros in *cœlestibus* tanta fiducia credit , ut sibi videatur quodammodo factum , quod faciendum erat . Cur hæc interpretatio non toleranda solum , sed etiam sine hesitatione excipienda sit , quæ sequuntur Apostoli verba , subindicant . Quippe subdit : *Ut ostenderet in Sæculis supervenientibus abundantes divitias gratiæ suæ in bonitate super nos in Christo Jesu* . Hisce verbis Sæcula Christianæ Ecclesiæ , ad finem usque Mundi decurrentia . Paulus significat . Si nemini ( quod Burnetus opinatur ) confedere licuit , aut licebit in *Cœlestibus* , nisi in Resurrectione omnium : quasi , quæso , *abundantes divitias gratiæ Dei* . Apostolus adeo extollit supra tempora antecedentia Christum ? Non desuere in Judaica Lege SS. homines . At ubi statuamus , Christi Fidelium justorum Animas , non secus atque Animæ Abraham , Isaac , & Jacob , ac reliquorum Patrum , a Cœlesti Regno adhuc exclusas , & ad illud frustra aspirantes , nisi quum tuba novissima insonabit : ubi sunt , inquiet Judæus , *abundantiæ illæ divini gratiæ* , quas Apo-